


35

33

29

24



Comparent urbis proceres de more uocati,
Ad coenam, uelut ad prandia, quisq; uenit.
Quin etiam Princeps summa dignissima laude,
Matronam coenae iussit adesse suae.
Haec est Huldrici senioris nobilis uxor,
Relingerorum stemmate nata bono.
Huic sese Princeps celeberrima praebet amicam,
Et loquitur suauiter mutua uerba sono.
Atq; dolet spacium sibi non hic esse manendi,
Cum multis queat ut iungere notitiam.
Mox est corporibus satiatis coena peracta,
Quisq; satisfecit letitiaeq; suae.
Lucis ad auroram senunciat inclytus heros,
Ad patrios cupidum uelle redire lares.
Ergo ualedicunt omnes, gratesq; feruntur,
Regrediturq; suam quilibet inde domum.
Postera uix oriens dederat sua lumina Phoebus,
Dux abiit caetu concomitante suo.
Et se proripuit conspectu totius urbis,
Et desyderium liquit in urbe sui.
Tunc ueluti patrem sibi filia luget ademptum,
Vrbs oculis doluit sic spoliata Ducis.
Tunc aliquis moesta fugientem uoce secutus,
Hos uacuis auris fertq; refertq; sonos.
Cur fugis ab Princeps? cur moenia nostra relinquis?
Cur te non retinent moenia nostra diu?
Cuncta salutiferi ceu gaudent tempore ueris,
Vrbs fuit aduentu sic recreata tuo.
Cuncta uelut maerent hyemis torpore rigentis,
Sic abitu torpent omnia moesta tuo.

Coena.

A coniuge Principis
uxor Huldrici Ehin-
geri ad coenam uocata.

Princeps summo dilu-
culo sequentis diei co-
stituit discedere.

Discessus Principis
summo diluculo.

Desyderium ciuitatis
propter abeuntem
Principem.

B

Ipsa

Ende

Anfang